

*Q. D. B. V.*

**MEMORIAM  
MASCIANAM,**

*d. XIII. Mart. 1685.*

**IN GYMNASIO ZITTAVIENSI**

*Solenniter recolendam,*

**PATRONIS, FAUTORIBUS,  
AMICIS,**

*ac praesertim*

**Bonarum Literarum Studiosis,**

*quorum gratia*

**MASCUS** *quotannis laudari voluit;  
decenter commendat.*


**CHRISTIANUS** *Weise*  
**RECTOR.**




**ZITTAVIÆ,**

*TYPIS Michaëlis Hartmanni.*





 **Lausum nunc est Theatrum,** quod superioribus diebus & Juventutem nostram, & bonam Civitatis partem habebat occupatissimam. Sic enim sapientissime judicaverunt Majores nostri, ut, si quando juvenilis ætas aliquo studiorum tædio premi videretur, talia miscerentur, quæ externam voluptatis speciem referrent quidem, nec tamen ab omni literarum, morum, & studiorum fructu essent aliena. Ast ubi nihil defuit recreationibus; Spes affulget, fore ut refectis quasi viribus, unusquisque ad Libros & animum firmiorem, & lætitiæ magis cupidam afferat. Neque defuturi suis commodis videntur, qui crescentibus annis admoneri debent, quam pudibunda sint dierum, mensium annorumque incrementa, si interim nobilior ætatis census, *h. e.* Eruditio, Virtus & dexteritas, quotidie decrescat. Equidem ipsa hæc Bacchanalia, seu ut stylo Christiano loquar, ipsa hæc Jejunii strictiorisque devotionis initia, futuris annis nullo turbabuntur Spectaculorum strepitu: quin potius ad liberiores Autumnum, velut ad honestiores Vinde-  
mia-



miarum ferias, tum respiciemus, cum istis recreationibus aliqua inesse videbitur vel necessitas vel commoditas. Quamobrem nostrarum nunc est partium cogitare, quibus quoque Symbolis ultimam hanc deficientis brumæ voluptatem obfignemus. Idque vel eam ob causam, quod à scenicis negotiis respirare vix licuit, ubi solennem dicendi legem mihi præscribit, Magnifici MASCII Memoria. Quippe Celeberrimus hic Julius Electorum & Principum Gratia florentissimus, suo nos obligavit Testamento, ut, quoties rediret dies emortualis, in patrio hoc Gymnasio & in eâ Urbe, ubi olim Parentem is habuisset Scholæ Rectorem, ipse laudaretur, simulque nonnulla dicerentur ad provehendos discipulorum fructus pertinentia. Jam quo loco, quo tempore dici aliqua possent studiis aptiora, quam sub istis studiorum velut redivivorum initiis? Fallor? an ultro debuissent inculcari, quæ nunc solenni à nobis lege postulantur. Et profecto dabimus operam, ne benigno huic Testamento injuriam intulisse videamur. Nam, siquid nunc moneri apud Juvenes debet, inepta plerisque tenet persuasio, satisfactum industriæ, si præsentem Magistro nunquam sint absentes, si Lectionibus vel audiendis vel imitandis morbidam afferant diligentiam, si nihil committant, cur honestè conqverantur Præceptores: De cætero parum interesse, quicquid statuatur de Otio domestico, quibus repetitionibus, meditationibus, imi-  
ta-



tationibus, Regulæ toties propositæ confirmentur. Quorum tamen opinio cum discedat ab omnibus Eruditorum exemplis, & præscam seculorum barbarium è longinquo nunc invitet: Manes mihi concedent Masciani, ut hujus argumenti aliqua pars meis verbis explicetur, propositisq; ex omni genere rationibus tandem ostendatur, quid Præceptoris industriam reddere queat faciliorem, quid Juvenem altero reddat superiorem, quam viam calcare quivis debeat, sicubi accesserit docentis fida demonstratio, uno verbo: quæ cujuslibet esse debeat PRIVATA INDUSTRIA.

At enimvero nunquam a Præceptore felicius aliqua dici possunt, nisi cum accesserit Auditorum Splendor & Auctoritas. Inde quos occupavit Posteritatis favor, & quos juvat subinde moneri, quæ Juvenibus sunt utilia, decenter rogo, velint semihorulæ spatium suis occupationibus subtrahere, ne nullis testibus rem adeo necessariam dixisse videar. Deus servet Patriam, Scholam, & omnes qui Scholæ novos generant vel educant fureculos, P.P.

*d. 12. Mart. M DC LXXV.*

